

[IX.] Laus Arnulfi^a per excellentiam.

- Nunc, Arnulfe, tibi cum per me carmina scribi
 Possint, et multas res mittere nostra facultas,
 Quid mittam, dubito: quod¹ habes nam mittero vito,
 Ne quod habes simile faciat quod misero vile;
 5 Nam² cur infundas^b Thetidi quas explicat undas?
 Explicat hæc^c undas: Cunctis, Arnulfe, redundas
 Artibus et donis totius relligionis.
 Si cuiquam probitas possit producere vitas,
 Et tibi producet probitas tua: tanta relucet!
 10 Hac igitur superis equandus^d non morieris.
 Ergo viro tanto quæ digna poemata canto?
 Quantumvis detur — sua laus^e maiora meretur;
 Quidlibet huic dederò — nil egi, frivola spero.
 Tale tamen donum studii^f sibi mittere, quo non
 15 Aptum mittenti magis est nec suscipienti
 Ullum, quam de te scriptus liber arte poetæ,
 O Arnulfe sacer, vir prudens, mitis et acer.

[X.] Quia sapientia semper manet.

- Unde stilo memori monachus suus archipriori
 Arnulfo scribit, laus cuius obire nequibit.
 Forma perit mundi — nequit eius fama retundi
 Qui fuerit doctus, cui mens animusque recoctus.
 5 Flos, decor omnis abit — docti sapientia^g stabit;
 Ut firmamentum stabilis vigor est sapientum:
 Testis scriptura, quia permanet immoritura
 Fama viri clari nec^h morte potest violari;
 Id quoque testatur Danielⁱ, quia perpetuatur
 10 Gloria^k doctorum, laus et doctrina bonorum,
 Qui nos iustitiæ^l conformant arte sophie,
 Componunt mores nostros minuuntque labores:
 Quomodo vivendum, quid agendum, quid fugiendum
 Sit, descripserunt, idiotas edocuerunt.

[XI.] Laus sapientum.

Ergo refulgentes documentis, o sapientes,
 Vestrum quod sumus est, in vobis nostra salus est;
 Quod sapimus, facimus, per vos bona vel mala scimus;

a) 'Arnulphi' C. b) 'o tu aliquis' am Rande Glosse C. T. c) 'hoc' C.
 d) 'eq.' T; verb. aus 'equandis' C. e) Verb. aus 'luas' C. f) 'studii' L.
 g) 'sapiencia' C. L. h) 'neque' L. i) 'Daniel' L. k) Beginnt
 Fol. 208, das offenbar später, wiewohl von derselben Hand, geschrieben,
 also wohl übersprungen gewesen ist C. l) 'iusticie' C. L.

1) Dieselbe Wendung XV, 9 f. 2) Fast derselbe Vers unten XV, 43.